



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Flores Meditationvm

Bebius, Philippus

Coloniae Agripp., 1623

Medit. 30. De Mundatione Leprosi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59636)



MEDITATIO XXX.
DE MVNDATIONE
LEPROSI.

PVNCTA MEDITATIONIS.

- I. *Domino de monte descendenti occur- Matt. 8.
rit leprosus, qui procidens in faciem Luc. 5.
adorauit dicens: Si vis, potes me mū-
dare.*
- II. *Respondens IESVS dixit: Volo mun-
dare.*
- III. *Sic sanato mandat, vt nulli dicat; sed
ostendat se sacerdotibus, in testimo-
nium illis.*

FIGVRA.

NAAMAN Syrus existēs leprosus abiit 4. Reg. 5
quæsitum Helisæum Prophetam per
quem a lepra mundatus est.

DOCUMENTA.

I. **C**HRISTVS post traditam doctrinam
descēdit ad turbas & miraculorum ope-
rationem : vnde hauriuntur duo docu-
menta. Alterum pro hominibus spiritualibus,
qui tendunt ad vitæ perfectionem, vt dum ne-
cessitas proximi ita postulat, supersedere de-
beant exercitijs internis, alijsq; sanctis occu-
pationibus, & demittere se ad iuuādas animas

EDI.

proximorum. Alterum est pro Prælatiſ & Eu-
angelij prædicatoribus, qui ad imitationem
Chriſti opere debent præſtare, quod verbis a-
lios docuerunt.

2. Leproſus non petijt abſolutè à Chriſto, vt
ſe mundaret, ſed dixit. *Si vis potes me mun-
dare*, vnde diſcimus, quando aliqua ægri-
tudine corporali grauati ſumus, non debere
nos à Deo abſolutè petere ſanitatē; ſed com-
mittere ipſius beneplacito, vt faciat quod ma-
gis conueniat noſtræ ſaluti.

3. Chriſtus non refugit tantopere leproſum,
quem Scribæ & Phariſæi vix dignabantur aſpi-
cere: vt daret nobis exemplum benignitatis, &
commiſerationis, ne facile ab infirmitatibus
aliorum quantumuis horrendis & abominan-
dis abhorreamus.

4. Chriſtus ſanans leproſum attigit eum
manu; vt indicaret quàm magna infirmitas ſit
peccati, quod per illam lepram fuit ſignifica-
tum. Nam velut lepra ex omnibus morbis, ma-
ximè eſt abominabilis & curatu difficilis: Sic
quândo peccatum illabitur in animam, ita eam
contaminat, & dæmonis poteſtati ſubiicit, vt
opus ſit manu Dei & auxilio ſpeciali, vt homo
ab eo liberari poſſit.

5. Lepra corporalis, ſecundum Scripturam,
quinque modis fuit curata. Primo lauando ſe
aqua, vti fecit Naaman Syrus. Secundò, oſten-
dendo ſe ſacerdotibus, vt fecerunt decem lepro-
ſi. Tertio ſeparando ſe ab alijs, vt Maria ſoror
Moyſis. Quarto, abſcõdendo ſe, vt manus Moy-
ſis, quam abſcondit in ſinu. Quintò, tactu ma-
nus Domini, vt hic leproſus. Sic nos quinque
modis mundamur à lepra peccati; Primò la-
chrymis cõtritionis, quæ lauant animum. Se-
cundo, oſtendendo ſe ſacerdoti per Confefſio-
nem.

nem. Tertio, si pœnis & censuris Ecclesiasticis separemur à consortio fidelium. Quarto, ingressu & clausura religionis. Quinto, quando Dominus nos aut internis inspirationibus, aut flagellis tribulationum tangit.

6. Christus mandauit leproso, ne manifestaret hoc miraculum, ad nos commonefaciēdos, ne prædicandis diuulgandisq; nostris bonis operibus ostentationem & gloriam aucupemur, sed desideremus potius ea hominibus esse abscondita, soli autem Deo patere secundum illud consiliū Euangelicum. *Nesciat Matt. 6. sinistra tua, quid faciat dextera tua.*

7. Nos quando infirmi sumus, recordamur Dei, eumq; inuocamus cum magno emēdandæ vitæ desiderio; at post recuperatam valetudinē obliuiscimur omnium: & ideo Christus, vt doceret nos, aequè tempore sanitatis ac agritudinis Dei meminisse, eiq; gratias agere mādauit leproso, vt offerret Deo aliquod munus, gratiasq; pro beneficio sanitatis accepto ageret.

8. Christus ideo mittebat leprosos ad Sacerdotes & mandabat vt offerrent sacrificium vt intelligeret peccator, etiamsi quando à Domino per contritionem tactus est, expurgetur à peccati lepra, se nihilominus obligatum esse vt se offerat Sacerdoti per confessionem, vt expleat satisfactionem, quæ ab illo ei imposita fuerit.

9. Christus in ciuitate & locis publicis prædicabat, & infirmos sanabat, sed postea in desertum, vel montem se recipiebat adorandum, vt daret nobis exemplum vtriusque vitæ, actiue, & contemplatiue, atque intelligeremus non debere nos ita dediros iuandis proximis, vt negligamus studium orationis ad iuandos nos ipsos: & contra ne ita dediti

simus orationi, vt proximos negligamus. Itaque
ita partiri debemus occupationes, vt amor Dei
nō impediatur amore proximi, nec amor pro-
ximi imminuat, vel etiam impediatur amor
Dei.



MEDITATIO XXXI.
DE SANATO SERVO
CENTVRIONIS.

PVNCTA MEDITATIONIS.

- Matt. 8.* I. Centurio Christum rogat per senio-
Luc. 7. res Iudaeorum, vt seruum sanet: re-
spondet Christus se venturum.
- II. Hoc intellecto, deprecatur Centurio
per amicos dicens: Domine, non sum
dignus, vt intres sub tectum meum.
- III. CHRISTVS, hanc fidem hominis
gentilis miratus dixit Iudaeis mul-
tos venturos ab Oriente & Occiden-
te, vt recumbant in regno Coelorum,
filijs regni foras eiectis.

PROPHETIÆ.

- Esa. 33.* 1. **E**Terit fides in temporibus tuis, diuitia
salutis, sapientia & scientia.
- Esa. 43.* 2. Ab Oriente adducam semen tuum, &
ab Occidente congregabo te.
3. Ecce